

persecuit, ita nec benignissimus rerum moderator malorum, quæ  
perpetrant homines, ullô modô reus est, utut non refrænet  
impetum omnipotenter. Quoad concursum Molinæus aliîq;  
subtiliores apertè DEUM promovendæ neqvitiæ insimulare,  
nolentes, secernunt ipsi vitiosarum actionum materiale à for-  
mali, influxumq; ad illud solummodò restringunt, non ad hoc.  
Verùm enim verò jam dum observavit Svarez, hanc distinctio-  
nem esse nullam, si de materiâ proximâ actûs mali, cui pravi-  
tas per naturam adhærescit inseparabiliter, ut ne nomen, qui-  
dem absque vitiô concipi queat, sermo sit, nec vitari posse,  
quin constituatur DEUS autor mali, si in Entitatem actûs  
physicè influere dicatur. Quapropter accuratiores nostratium  
materiale, illud in proximum & remotum subdividentes, non  
nisi ad hoc concurrere demonstrant, quatenùs nimirùm gene-  
raliter sustentat ac sublevat motum creaturæ. Inde autem  
vel minimam Summo Bono imputare malitiam, piaculum  
esto.

## §. II.

Misericordiam sicut minùs decere homines virosq; for-  
tes pro durissima sua ἀπαισία Stoicis olim visum fuit, sic à DEO  
omninò arcentes haud quaquam ipsi convenire putârunt.  
Quod ab aliis tamen Philosophis Ethnicis tunc refellebatur,  
adeò ut Aristoteles in extremô mortis agone lachrymis obor-  
tis tremebundô ore vociferaretur: O Ens Entium miserere  
mei! Alii cùm sit attributum temporale, in hâc tantummodò  
ærumnâ creaturas, præprimis rationales, concernens, cessatu-  
ra in altera vita, statuque felicitatis perennis, quomodo cum  
divina reciprocetur Essentiâ, utpote per se æternâ, subdubi-  
tant? scrupulus tamen eximitur altiùs secum perpendentibus,  
utut actus secundus ad præsentem solummodò vitam pertineat,  
actum tamen primum fundamentaliter in DEO radicari nun-  
quam delebilem: sub Bonitate enim continetur, illius quædam  
quasi species, quod suprâ attingebam. Verè enim Anselmus  
excla-